




N. 25.
A. 11. 21



Cl. 3428. 3


Q. B. V.

ORATIUNCULA
DE FIDELITATE OF-
FICIORUM,

habita in Gymnasio Mans-
feldensi

M. GODOFREDO REISSIO,

Islebii ad D. Nicolai Pastore, Con-
sistorii Mansfeld. Assesore, & dicti
Gymnasii p. r. Inspectore.



ISLEBII,

Licentis Andreae Cogni,

Lic. Dr. M. Georgio Stöcker
Pastor. Petrus-Santino et
Consistoriali uti et Ministro


Omni-
bus,
In Tribus Hierarchiis,
à DEo constitutis
Dispensatoribus
ac Ministris,
Hoc, quicquid est, Ser-
monis,
Sacrum esto!



DEO ANNUENTE!

ORATIUNCULA,
DE FIDELITATE OF-
FICIORUM.

Hab. in
auditorio
superiori
Gymna-
sii Mans-
feldensis.
prid. Nō.
Nov. An.
M. DC.
LXIX.
subfinem
Exami-
nis au-
tumnalis.



Admodum Reve-
rende Domine Su-
perintendens, Ma-
gnifice Domine Can-
cellarie, Auditores

reliqui omnium ordinum honoratis-
simi gravissimiq; & Tu imprimis Pie-
tati & Bonis litteris addicta juven-
tus. Sæpissimè cum summâ animi mei
voluptate recordor dicti illius me-
morabilissimi, quod admodum ado-
lescens ex Officiis Ciceronis, magni
illius Romani Oratoris, jussu Præ-
ceptorum, cum aliis dicti libri uti-
lissimis sententiis memoriæ com-
mendavi. Ita autem scribit Autor,
& Parens Eloquentiæ Latinæ, lib. I.
Ad rem gerendam qui accedit, ca-



veat, ne id modò consideret, quàm
illa res honesta sit, sed etiam, ut ha-
bear efficiendi facultatem. Requirit
nimirum his in Verbis, inter alia ex-
quisita Reipubl. benè gerendæ præ-
cepta, ut is, qui meliore genio ductus,
honestum aliquod officium, instin-
ctu divino, est prensaturus, ad iudicii
obrusam ante omnia examinet &
exactè perpendat prius, an idoneum
ad Spartam exoptatam sese depre-
hendat, an sit oneri ferundo, vel, ut
ait Poëta, quid ferre recusent, quid
valeant humeri. Quemadmodum
enim is, qui ingentem præclari ædi-
ficii molem erigere instituit, inq;
constructâ domo, imposito ipsi & ab-
soluto fastigio, ita habitare cogitat,
ut & ingeniosi architecti laudem
consequatur, & sumtus sibi ad ea, quæ
operosè exædificavit, conservanda,
non deesse ostendat, de mediis suffi-
cientibus sollicitus esse debet, qui-
bus suffultus occupare sedem, uti
bonum & honestum civem decet, à
se affabrè præparatam, queat: Ita
etiam illum, qui ad functionem ali-
quam

quam adspirare, & præcipue qui in
nobili aliquo officio industriam & ar-
tem suam manifestam reddere sata-
git, oportet ante vires suas probare,
ne, cum quâdam ignominia à cœpto
abarceatur, & veluti extremus scabie
infestetur. Quamquam autem, hæc,
ut alia omnia, Sapientissime pronun-
ciaverit Orator, dum Eum qui ma-
gnas res & animo volutat, & ipsa re
aggreditur, sese probe examinare jus-
sit, & expendendum accuratâ mentis
statera illi reliquerit, non solum offi-
cii luculenti, quod affectat honorem,
sed & facultatem & vires, quibus o-
pus efficiatur, addi tamen fortasse
poterat non malè, unicum adhuc
verbulum, ut integra sit sententia,
meo quidem iudicio, isthæc: qui ad
rem gerendam accedit, non modò
consideret, quàm illa res honesta sit,
sed etiam, ut habeat efficiendi facul-
tatem & deliberatam Voluntatem. Ita
ego addo. Non unicâ hujus augmen-
ti ratione commotus. Etenim per-
multa sæpè incidunt, quæ voluntatem
rei honestè expediendæ, quamvis ad
A 3 illam

illam aptissimus quis sit, adimant, uti
sunt, multis inhaerens à naturà ad ma-
lum proclivitas, quà bonum omitte-
re, malum verò facere solet homo:
Item, Seductio sociorum à laudabili
Virtutis tramite, rursus: Rei in spe-
ciem difficultas, dum diffidimus sco-
pum attingere nos posse, quam feri-
re vel vilissimo sagittario facilimum
est. Plurimi insuper vel metu homi-
num graviorum & hostium Virtutis
αισπρόνων, vel alià temporum injurià
absterrentur à rebus talibus facien-
dis, quarum expeditio maximè pos-
sibilis, modò ad facultatem à DEO
Opt. Max. concessam, addere velint
Voluntatem, quæ proprii est arbitra-
tus. Cùm igitur Auditores honora-
tissimi mihi jam, ex veteri consuetu-
dine, finito Examine Scholastico, co-
rà illustri vestro confesfu, aliquid
dicendum sit, meliorem & magis hoc
tempore necessariam perorandi ma-
teriam proferre & pertexere me non
posse existimavi, quàm si brevi rem-
poris spatio, de Fidelitate Officiorum
disseram, ignarus eqvidem, vel sal-
tim

tim dubius, rem nè viribus meis gra-
viores, an huic nostro ævo paulò
asperiores susceperim. Vestro ta-
men solito favore subnixus, Viri Op-
timi, vela orationis meæ jam pando,
certa spe plenus, jucundum fore au-
ditu, si perceperimus, quomodo qui-
libet in suo officio, studio ac studio
injunctæ vocationis, summâ cum fi-
delitate pergere debeat, & quomodo
hæc officia in commune à singulis
conferenda.

Necque enim obscurum cuiquam
esse potest, ullum à divinâ Provi-
dentiâ bonum cuiquam contingere,
ut solus eo fruatur, ut nec lucem
Soli, ut sibi Soli luceat uti loquitur.
Nic. Gregoras l. historiarum suarum octavo.
Si præsertim quilibet justâ arbitrii
lance expendat, quod habet Fr. Gvic-
ciardinus histor. lib. ult. Verissimum
est illud, & summâ laude dignum,
quod Proverbio dici solet, Magistra-
tum seu Publicum munus, Virum o-
stendere, & Antonius de Gvevara,
Horol. Princ. lib. 2. c. 41. fol. m. 398.
Quibus existimatio sui cordi est, si

“Goulartii,
“ in Philo-
“ soph. hi-
“ storicâ
pag. 235.

A 4

quid



quid semel susceperint, vitam potius
amittant, quam Officio non satisfa-
ciant, oportet. Quicquid faciunt,
in Officiis constituti, caveant sedu-
lò, ne committant, quod, aut qui
reprehendere avertent, meritò sug-
gillasse videantur, aut qui imitari,
occasionem nanciscantur delinquen-
di. Non sint de illorum numero, qui,
ut loquitur Hieron. Tom. I. ad Ce-
lantium, sub Christiano nomine gen-
tilem vitam agant, & aliud profes-
sione, aliud conversatione testentur.
Tit. I. 16.

Dicturo igitur mihi de Fidelitate
Officiorum, primi obferunt se vene-
randi Sacerdotes, & Deo amabiles
Episcopi, prout in Codice non semel
ita dicuntur. Hi sanè munus augu-
stum sustinent, & cum aliis rebus, tum
præcipuè fidelitate, illud nobilitant
Paulum testem laudamus, qui ita de
his Dei Legatis scribit prima ad Co-
rinthios missâ Epistolâ cap. IV. com-
mate 1. & 2. Sic nos æstimet homo,
ut ministros Christi, & dispensatores
mysteriorum DEI. Quod superest au-
tem,

tem, illud requiritur in dispensatori-
bus, ut fides aliquis reperiat. Et 2.
Tim 2, 15. gemina his habet: Stude
Teipsum probatum exhibere DEO
operarium, non erubescens, rectè
secantem Sermonem Veritatis. Huc
quadrant aurea Chrysofomi Verba,
quibus S. S. Ministerii Majestatem,
& inde promanantem fidelem ejus
administrationem graviter inculcat,
quando homiliâ 34. in cap. 13. ad Ebr.
fol. m. 69. ita scribit: Quid dicamus
infelicibus illis & miseris, qui semet-
ipsum ad alios regendos præcipitant,
& se in tantorum suppliciorum abys-
sum jactant? Omnium quos regis,
mulierum, puerorum atq; Virorum
tu rationem redditurus es: Tanto
igni tuum subjecis caput: Miror, si
potest salvari aliquis Rectorum ./. E-
piscoporum. Præmemoratus Apосто-
lus in bono & fideli Episcopo septen-
decim requirit virtutes, quibus oportet
ipsum inveniri exornatum, quæ
ordine recensentur, 1. Tim. cap. 2. à
commate secundo usq; ad octavum.
Certè non parum curæ adhibendum,

non parum sudoris ex hauriendum illi, qui in hisce requisitis vel simul, vel succedaneè cupit videri & esse fidelis. In jure quidem Canonico de Episcoporum jure, personarum Ecclesiasticarum prærogativâ, matrimonio, ornatu, scientiâ, continentia, irâ & asperitate, victu & amictu à distinctione XXI. ad LIX. usq; ex Patrum consarcinatis sententiis plurima coercervantur. Parte primâ Decreti Gratiani: Quâ in re à Pontificibus optimè prospectum videtur Catholicæ Ecclesiæ, ad tuendam Cleri sui auctoritatem & fidelitatem: Sed in multis fuit discessum à divinis verbis Apostoli, cujus multò solidior est Ministror. V. & Episcoporum institutio, quàm hinc inde ex Patribus quæsitâ decretorum Papalium confirmatio. Altioribus Academiârum Theologicis Xystis hæc judicanda, nostro loco, relinqvimus. Hoc unum impræsentiarum notamus, Pauli de Episcopi fidelitate & officio admonitionem, ad id quoq; conducere, ut contra Schefflerum, Lutheromastigem, asseren-

ferentem in scriptis suis, quòd Chalcedonense Concilium Papam Leonem appellet Universalem Episcopum, cui custodia vineæ Christi sit commissa, insurgere & concludere valeamus, aliud esse universalem Episcopum, aliud Universalis Ecclesiæ Episcopum. Juxtà Tarsensis Doctoris *ἐπίσκοπον* ille omninò habetur, & est verus totius Ecclesiæ Pastor & Inspector, qui observat ea quæ adducta sunt ex loco suprà in testimonium accersito, non verò is, qui se vano ostentamento vocitat universalem Episcopum, cum primis quando Verbo scripto, vel addit, vel etiam præponit sua figmentorum lenocinia. Hinc, juxtà mentem Apostoli rectè sensit Origines Hom. VI. in Esa. Qui vocatur ad Episcopatum, vocatur ad servitutem totius Ecclesiæ, nec non Chrysostomus, qui homiliâ XLIX. 2. ad Corinth. dicit ac fatetur: Universæ Ecclesiæ curam gerimus. Sed omisis his, quæ, uti monitum, ad superiora scammata pertinent, Fidelitatem Ministror. Verbi exposcere dicimus id, quod

Vid. Strigelli orat.
de Isaco,
p. m. 412.

quod historia de Palæstinis petulantibus, & servis Isaci, Herum comitantibus & hæreditariam possessionem defendentibus, Gen. 26. 20. posteris meditandum tradidit, & sub schemate insigni proposuit. Quid enim fontes sunt aliud, de quibus inter nominatos adversarios, fuit dimicatum, quàm Scripta Prophetica & Apostolica? De illis enim dulcissimè canitur Psalm 68. Benedicite Domino; de fontibus Israël. Palæstini sunt hæretici doctrinam incorruptam destruentes. Cum iisdem Isaci pastores dimicant & cænum ac venena ejiciunt è fontibus, quos illi obturare conantur. Quod Basilius doctè in quâdam Epistolâ interpretatur, inquit: Vos (fideles Ministri) observate Palæstinorum Pastores, ne quis occultè vestros fontes obstruat, & puram doctrinam de fide obturet. In hoc enim omni curâ & cogitatione incumbunt, non, ut simplicioribus animis tradant doctrinâ, divinis scripturis consentaneam, sed ut sapientiâ externâ Veritatem oppugnent. In
hæren-

hærendum igitur est sermone Veritatis, adhortante Apostolo, & defendenda cælestis voluntas, quam in doctrinâ & vitâ urget Deus, sive fiat tempestivè, sive intempestivè, 2. Tim. 4. 2. In doctrinâ omnia ad ἀναλογίαν fidei reducenda, & juxtâ expressum Verbum scriptum (non scriptum enim non agnoscimus) examinanda dogmata, non obstante, quòd Adversarii à suâ sententiâ, toties moniti, toties convicti, ne latum ungvem recedant. Unde in comperto est, quod nullus Calvinistarum Absolutismum ejurare, & oralem manducationem ac bibitionem Corp. & Sangv. Christi admittere velit, nullus Pontificiorum Missam missam facere, & ab invocatione Sanctorum, aliisque sexcentis erroribus abstinere cogitet. Sed lupo ingruens constanter est in clamandus, Elenchus tam doctrinalis quam moralis intrepidè usurpandus, & quicquid à vero & honesto deviat, publico ore & calamo, juxtâ tenorem Verbi salvifici redarguendum. Si propter eâ inimicitia & odia mundi experien-

da,

da, ad animum revocetur, illud Chry-
fostomi, in homilia supra adducta,
dum ita pergit: fol. 20. f. b. Quicquid
inciderit, omnia tolerat Christianus,
& omnibus est Superior, omni plagâ
fortior. Sit enim quisq; Spiritualis
Vir & occurrunt ei mille mala, nullo
modo vincitur. Et quid dico? Incidat
illi pauperies, ægritudo, injuriæ, de-
tractiones, vituperationes, plagæ,
omne genus supplicii, omne genus
deprecationis & improperiorum &
injuriarum: sed veluti, si extrâ mun-
dum fuerit constitutus, & velut si à
passionibus corporis liber, existat:
si cuncta illa risui habebit. Pro tam se-
dulâ curâ, & diligenti inspectione, se-
cutisq; inde ærumnis variis, audito-
res (& hoc illorū est officium,) bene-
faciant suis ordinariis & bene meri-
tis animarum Præfectis, nec conce-
dant, ut Sutrū ire, sicut prov. ha-
bet, cogantur, & emaciati fame ac si-
ti, stipem ostiatim colligere compel-
lantur. Miserabile & ominosum est,
quod de Sanctorum persecutione re-
fertur ex Maccabæor. libro, in Epist.
ad

ad Ebr. cap. XI. v. 36. & seqq. nimirum eos ludibriis & flagris exploratos fuisse: Insuper, & vinculis & carcere. Fuisse lapidatos, dissectos, tentatos, gladio occisos, in ovillis & caprinis pellibus circum vagatos, destitutos, presos, afflictos. Miseram & deploratam sortem! Sed miserio-rem & deplorationem conditionem illorum, qui causa hujus miseriae extiterent! Porro ad illos, qui in Ecclesiastico statu officia debita praestare debent, pertinent & illi, qui in Scholis, docendo discendoque versantur. Probè illi expendant, Scholas esse Republicae Christianae Seminaria, ergo in illis ita laborandum, ut futura seges amplissima exurgat in Dei honorem, & Boni Publici emolumentum. Quid Praeceptores & Professores, docere debeant, id cujusque vocatio monstrat, & priscae leges docent. Neque enim Veteres limites sunt movendi, Deut. 19. 14. Veterem informandi modum sequantur, per certa praeccepta, & exempla optima, nec non stylum, per congruum & elegantem Ser-

monem sedulò urgeant, ac juxta Gel-
lium, lib. 1. c. 10. p. m. 19. tamquam
scopulum, sic fugiant insolens Ver-
bum. *Multà lectione multis præscripti-
onibus, accuratâ scriptorum observatio-
ne, multo scribendi dicendiq; usu paratur
sermonis mundicies*, secundum Eras-
mum de Ratione conscrib. Epistol. p.
m. 19. Sciant, qui Scholis sunt præfe-
cti Doctores ac Magistri, concredi-
tum suæ fidei esse pretiosissimum
Depositum, sc. Parentum Christiano-
rum liberos, à Deo donatos, non eâ
fini, ut illos solùm hæredes habeant,
per eosdem longo sanguine censcan-
tur vel sicut imagines suas & ceras,
per quas atria exornantur posterita-
ti transmittant adspicendas & admi-
randas, observandasq; aut, ne intere-
ant Genealogiæ, & vana ac nuda illa
Catonum ac Scipionum nomina ob-
litterentur. Sed potius, ut illa Paren-
tum Soboles, ac Musarum pullities,
(si præsertim illa prima naturæ, quæ
Varro primigenia vocat, habeant Au-
gust. de C. D. lib. 19. c. 2. fol. m. 788.) re-
ctâ ac solidâ in pietate & artibus di-
scen-

scendis, methodo informatur & præceptis ac vitæ exemplo, ad Conditoris supremi gloriam, & Reipublicæ commodum educetur, quò, Sacræ Scripturæ & sobriæ Philosophiæ armis instructa, in hoc manifesto nostri temporis Ecclesiarum ac Scholarum vilipendio, Satanæ ac mundo, *ἀμύτοις* illis hostibus, fortiter aliquando resistere possit. Fulmen illud Oratorium, M. T. Cicero, in Actione contra Verrem institutâ, lib. 5. fol. m. 266. inter alia quæ ipsi objicit, probra, illud etiam detonat, quòd is filium suum ita educârit, ut nullum unquam pudicum vel sobrium convivium viderit, sed inter epulas, inter impudicas mulieres, & intemperantes Viros versatus sit, ut, si maximè voluisset, tamen non potuisset, vel prudentior evadere, vel melior. Si Ethnicus hoc subodorari potuit, ex malâ consuetudine ac disciplinâ Parentum (& Præceptorum, qui Parentum loco sunt, nam juxtâ Ebraeos, quicumq; instituit filium amici sui, in Lege, id imputat ei scriptura, ac si genuisset illum, Flo-
B til.

ril. Buxt. Ebr. p. 75. 76.) vitia contra-
here liberos, ac degenerare etiam,
Christianis proclive est iudicatu, non
melius se habituros adolescentes, in
eum finem missos, ut dextrè infor-
mentur, & ad optima quævis facien-
da invitentur, si contrariâ Informato-
rum *αμεθοδία* vel socordiâ negligan-
tur, vel pessimo vitæ exemplo sedu-
cantur. Cum igitur tam multa sint re-
ligionis officia, nullum tamen æquè
Præceptores ornat ac decet, quàm ut
probè suos discipulos instituant, &
dictum illud Salvatoris: Videte ne
unum ex his pusillis contemnatis,
Pet. 18. v. 10. haud secus ac Hebræi
veteres suis *Φυλακῆς* ac simbriis
inscriptam habebant præceptionem
divinam, Exod. 13. v. 16. Deut. 6. v. 8.
Matth. 23. v. 5. sibi habeant
quàm commendatissimum. Refert
Apollonius lib. 3. quòd in aulâ *Æτæ*,
Colchici Regis, fuerint tres fontes,
quorum primus lacte, alter vino, &
tertius oleo fluxerit. In Scholâ, illâ
Apollinis & Minervæ aulâ, reperiri
istos fontes, utile est. Utantur ergò
Do.

Docentes fonte purioris doctrinae
1. Pet. 2. v. 2. vino severioris discipli-
nae, & oleo blandioris alloqvii, & ex-
hortationis, ad tolerandum laborem,
& continuandum studiorum cursum,
cum pollicitatione optatissimi & cer-
tissimi eventus, juxta illud Sapien-
tis: Radix amara, fructus verè dulcis.
Judicio exquisito scripsit Seneca in
Epistola 39. Habet hoc optimū
in se generosus animus, quod
concitatur ad honesta. Ita ani-
mus noster in motu est, eò
mobilior, & actuosior, quò
vehementior fuerit. Sed felix,
qui ad meliora hunc impetum
dedit. *Bona menti semper litandum.*

Cum verà Pietate eruditio & institu-
tio omnis esse debet conjuncta, quod Ebraei. In
si fit, non exigua in studiis operæ pre- vestibulo
tia, Spiritus divini afflatu & auxilio, præparet
existent. Quis sit discipulorum labor se discens
quæ eorum partes, & in hoc præci- antequã
puè Gymnasio nostro, ex prælectis tricliniū
legibus Scholasticis, Solè meridiano ingredia-
tionem.

clariùs liqvet. Pietatem, modestiam,
 Philo. castitatem, temperantiam, obedi-
 Non po- tiam & verecundiam, cum indefesso
 test fieri studendi labore, seriò exerceant Φ i-
 ut magna λόμφοι alumni. Artes liberales dili-
 discantur genter colant, Præcepta memoriæ
 ante par- tradant, stylum exerceant, linguasq;
 va. necesarias, Latinam, Græcam & E-
 Vid. Rlac. bræam, in inscriptione crucis Christi
 Clav. S.S. celebres, fideliter addiscant. The-
 Parte al- mistocles cum ex Græciâ ad Persa-
 terâ rum Regem confugisset, de arduis
 Tract. 6. cum eo negotiis acturus, adduci in-
 fol. 390. conspectum Regis priùs noluit, quàm
 Vid. Ex- cellentiss. Persicam linguam, quamvis adultior
 Dn. L. Joh jam, didicisset, ut Persicè loquentem
 Benedicti Regem sine interprete ipse posset in-
 Carpzo- telligere, & respondere tutiùs. Et
 vii Pro- vos, optimi juvenes, Dei aliquando
 gram. de functuri legatione, vel aliam adituri
 Ebr. Ling. spartam, de his tribus lingvis non co-
 Dom. 2. gitabitis, aut laborabitis?
 post Epi- Sitis, juxtâ Platonem Φ ιλομαθῆς,
 phan. & Φ ιλήκοι, καὶ Σ ηθητικοὶ ἰ. discendi, audi-
 Fer. II. endi & interrogandi cupidi. Doctis-
 Pentec. annis Ebræus P. Fagius, quod nuper
 anno 70. Lipsiæ PP. in hoc auditorio monui, tria fidelis
 disci-

discipuli ponit munia, quæ secundum
Ebræor. Prov. ex tribus nominibus fi-
liorum Ismaëlis נשמי דומי עמד
oriuntur, Gen. 25, 13. nempe requirit
Auditionem, Silentium, Opus. Hæc
enim notant tria ista nomina propria:
Misma, Duma, Mafa, ubi primum
locum habere meruit Auditio vivæ
vocis Præceptorum. Hinc Hierony-
mus ait ad Paulinum: Habet nescio
quid latentis energiæ viva vox, & in
aures discipuli de Doctoris ore trans-
fusa fortiùs sonat. *Αυδοδιδασκτορ* ple-
rumq; sunt ambitiosi, *ιδιογνώμονες*, &
neminem arbitrantur vidisse un-
quam, quod se privatâ operâ putant
reperisse. Idcirco illorum opera
inutilis, & plerumq; etiam pernicio-
sa solet esse in Ecclesiâ. Sunt verba B.
Rungii in prælectione ad cap. 33. E-
xodi. Prætereà Senecæ verba vobis
ingero, quæ habet in Ep. 84. Apes, ut
ajunt, debemus imitari, quæ vagan-
tur, & flores ad mel faciendum ido-
neos carpunt: Deindè quicquid attu-
lère, disponunt, ac per favos digerunt,
& , ut Virgilius ait :

Liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare
cellas.

Non possum mihi temperare, quin
& illa adducam, quæ habet Drexeli-
us, famosus ille Jesuita, in Aurifodi-
nâ, de excerpenti sollertiâ, part. I. c.
10. p. m. 91. Quod excerpenti curam
aversemur, ratio penè unica hæc est:
Odimus lectorem & fugimus. In eo-
res vertitur: Pigri sumus & molesti-
am enodandi nolumus subire: Ideò
legimus, & nihil nobis feligimus, ut
non laboremus. Operosum nobis vi-
detur, semper ad manum habere
chartam, calamum, atramentum, &
inter legendum modò fellâ surgere,
modò has, modò illas, chartas pre-
hendere, lectionem turbare, scriptio-
nem interjungere. Lectores esse o-
tiosi volumus. Ita dum alimus desi-
diam, fovemus ignorantiam. Hoc u-
no nobis blandimur, quòd multa le-
gerimus. Optimè dixit Aristippus:
Non qui plurima comedunt, ii perin-
dè sani sunt; Item, non qui plurima
legunt, ii perinde docti sunt. Apage
mihi

mihi otiosulos lectores illos, qui ani-
mi tantum voluptatis & otii causa le-
gunt, qui, ut tempus fallant, librum
arripiunt, & quod fors obtulerit, cu-
riosius oculis percurrunt. His omni-
bus illud Plinii infusurrandum: Po-
teratis, o boni, has horas non perde-
re. Quæ enim hæc lectio est, quæ ni-
hil in adversaria, nihil in scrinia re-
condit, quæ oblivioni & ventis spar-
git, si quid boni seminis repertum. I-
dem isti faciunt, quod, qui multum
edendo ingerunt, & nihil digerunt.
Ut concoquas, sic comede; ut excer-
pas, sic lege. Hoc litterarum supelle-
ctilem parat, hoc seriam eruditio-
nem conciliat. Hactenus Drexelius. Littera
Animo suo volvat, & altè infigat ju-
ventus, verba illa Lactantii, quæ ha-
bet lib. 6. de vero cultu, c. 3. p. m. 319. gil. in Epi-
gram.

*Dicunt humana vite cursum r. littera es-
se similem; quod unus quisque hominum
cum primum adolescentia limes attige-
rit, & in eum locum venerit, partes ubi
se via findit in ambas; bareat nunc abun-
dus, ac nesciat, in quam se partem potius
inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui di-*

rigat ad meliora titubantem, hoc est, si
 aut philosophiam didicerit, aut eloquen-
 tiam, aut aliquid honeste artis, quò eva-
 dat ad bonam frugem; quod fieri sine
 maximo labore non potest: honestam ac
 copiosam vitam, disputant, peracturum:
 Si verò doctorem frugalitatis non inve-
 nerit; in sinistra viam, quæ melioris spe-
 ciem mentiat, incedere (alii legunt, in-
 cidere) i. e. desidia, inertia, luxuria se
 eradere: quæ suavia quidem videntur
 ad tempus, vera bona ignorant; post a-
 amissa omni dignitate, ac re familiari,
 in omnibus miseriis ignominiaque victu-
 rum. Nunc è Scholâ, umbratili loco,
 uti vulgus censet, prodeo ad Rem-
 publicam, ejusque Megistanes & Magi-
 stratus, Patres Patriæ, & Tutanos ve-
 ræ ac sinceræ religionis. Horum
 quodnam Officium sit, tum doctrina
 Mosaica, Regum libri, & Propheta-
 rum Sanctorum admonitiones, in
 veteri, tum Salvator ipse & Apostoli
 in N. T. abundè proponunt. Sit pius
 Magistratus custos utriusque tabulæ
 Decalogi, defendat subditos, propul-
 set à pressis injuriam, sit Nutritius
 Eccle-

Vid. B.
 Hopffn.
 Saxon.
 Lvang.
 1746
 1799.

Ecclesiarum & Scholarum, malumq;
omne eliminat è regno suo hoc præ-
fertim ævo, quo, juxtà Lucanum, lib.
4. p. m. 141. Ambitus & luxus, & o-
pum metuenda facultas Transverso
mentem dubiam torrente tulerunt.
Verbo : Eò collimandum, ne quid
Respublica, (tàm, Ecclesiastica, quàm
Politica,) detrimenti capiat. Du-
plici exemplo, quod memorabile
nobis reliquerunt duo illustres Prin-
cipes officium hoc explicabo, ne Au-
ditorii Nobilissimi patientiâ abutar,
& illud longe sermone remorer. Re-
fert Phil. Melanchton, uti habent E-
jus Epistolæ à Camerario collectæ &
editæ, in litteris ad Academiam Tu-
bingensem A. M. DC. XXXVI. mis-
sis, de Duce Würtenbergico, se-
quentia : Postquam illustrissimus
Princeps, Dux Württenb. litteras ve-
stras legit, & inspexit ordinationem,
me ad se accersivit, ac diligenter in-
terrogavit, quid existimem desidera-
ri in singulis professionibus, & quo-
modo eis consuli posse arbitrer. Ibi,
cùm simpliciter ei judicium meum

fol. m.
270.

B 5

expo-

exposuiffem primùm sanctè affir-
mavit, se inter præcipuas partes Rei-
publ. Academiam ponere, & elo-
quenter exposuit, quantas utilitates
tueatur Academia benè constituta,
quod, extinctâ doctrinâ optimarum
artium, nec propagari nec conserva-
ri religiones possint, nec retineri in
judiciis & imperiis Justitia. Adde-
bat, hanc animo suo infixam esse o-
pinionem, se nec Deo gratiorem cul-
tum ullū præstare, nec aliâ in re ullâ
de Ditione suâ, & de Posteritate meli-
us mereri posse, quàm si efficiat, ut A-
cademiarectè constituatur. Hanc vo-
luntatem, dicebat se nunquam de-
posuisse, tametsi harum rerū delibe-
rationē aliquandiu extraxisset, pro-
pter quorundam consilia, parum ac-
commoda temporib9. Hæc illustrissi-
mus Princeps longâ oratione com-
memoravit, meque vobis significare
voluit, ut vobis certè persuadeatis,
ipsum neque Academiæ, neque Pro-
fessorum utilitatibus defuturum es-
se. De ordinatione Vestrâ respon-
dit, se summa Voluntate illam con-
fir-

firmaturum esse, & commissurū executionē ordinationis nominatim Senatui Academico. Ac nequid mora afferat incommodi, addidit se breviter perfecturum esse. De rebus, inquit, si modo verā autoritat. certior reddatur, ubi accessione opus sit, & quomodo utiliter collocanda sit, non defuturam Academiae liberalitatem suam. Consilium Vestrum de accersendo aliquo erudito Professore sacrarum litterarum, item de jurisconsulto vocando maximè probat. Nam & ad juvanda studia, & ad inviandos animos exterorum, existimat id consilium profuturum esse; Digna Principe Verba! Idem Melancthon in commentario in aliquos libros Politicos Aristot. anno **MC. D. XXX.** edito Witteb. de **FRIDERICO**, Saxon. Duce hæc commemorat: Nunc testimonio Ducis Saxon. Frid. inquit, erimus contenti, qui, si quis alius Vir fuit, Reipublicæ, in togâ gerenda scientissimus nec tantum in administratione domesticâ versatus, sed jactatus

in

in maximis & periculosis negotiis totius imperii Germanici. Hujus auctoritas plurimum ap. nos valere debet, tum propter singularem ingenii divinitatem, quâ præditus fuit, tum propter longum usum rerum. Itaque quoties ad hunc deferebatur exemplum, quod mutationem aliquam allaturum videretur pertinacissimè adversabatur, subjiciens rationem his verbis: *Es macht Bewegung*. Dignum Principe factum! Voce enim hæc significavit Princeps augustissimus, summam curam providendum esse his, qui tenent Respublicas, ne sererentur ullæ occasiones aut causæ motuum. Semel excitati tumultus, postea multis seculis non consulescunt. Multa cura summo imperio inest, juxta Salustium, multi ingentes labores. Hinc Themistoclem dicere solitum narrant, se malle proficisci ad mortem, quam ad imperium, si sibi daretur optio. Meminerint Megistan. se esse homines, sicut Simonides Pausaniæ, glorioso Lacedæmoniorum Regi suasisse
fer.

fertur) sic futurum, ut rectè guber-
nent, clementiam adhibeant, rerum
felici successu abundant, nec impe-
rent id, quod divino contravenit
Verbo; quanquam hoc in casu ad o-
bedientiam non obligentur subditi,
quod olim docuit Episcopus Fructu-
osus, Gallieno iniqua poscenti his
verbis contra dicens:

missum est Caesaris ore Gallieni

*Quod Princeps colit, ut colamus o-
mnes:*

*Aeternum colo Principem, dierum
Factorem Dominumq; Gallieni.*

Da veniam imperator: Tu car-
cerem, ille gehennam: dixerunt o-
lim veteres Christiani. Qui Ecclesi-
am, pretiosissimam illam Domini vi-
scientiae, neam affligunt, lacerant, ac premunt, prælect. 6.
luporum ac aprorum, in Scripturis, p. 224.
veniunt nomine, hoc est, sunt hæreti-
ci & tyranni, quorum tamen plerum-
que tragicus solet esse exitus, atte-
stantibus Historiis. Qui nobilitate
inter ceteros eminent, se non viles,
sed noscibiles, qs. dici existiment
hoc nomine. Nobilitatem non in a-
stra-seqq.

Vid. Rob.
Sander-
sonus de
obligatio-
ne con-
scientiae,
p. 224.
Conf. Fes-
selii The-
atrū The-
ologoPo-
litico Hi-
storicum,
cap. 3. p.
124. &
stra-seqq.

stragalis fitam esse colligant, adeoq;
id dent operam, ut virtute omnimo-
dā magis magisq; inclarescant & ex-
plendescant, Rectè Seneca :

Nobiles non sunt mihi

Avi, non altis inclytum tumulis
genus

Sed clara Virtus. item:

Qui genus jactat suum,
Aiena jactat.

De Cæsare, Ethnico illo imperato-
re, argutum habet Epigramma Mar-
tialis Poëta, lib. XI. Ep. V.

(Cæsar, & æqui,

Tanta Tibi est recti reverentia,

Quanta Numæ fuerat: Sed Numa
pauper erat.

Ardua res haec est, opibus non tra-
dere mores,

Et cum tot Cræsos viceris, esse Nu-
mam.

Quo excellentius Elogium erit,
si tale de Christiano imperatore &
Principe circumsonat. Et sicuti id
auditu est gratissimum, gratissimum
pariter erit, si de Majestatis Offi-
cialib. & Ministris circumferatur,
quod

quòd sint justitiæ & decori amantes
& detestentur *πλεονεξίας & δωροφαι-
γίας*, si ad honestatem potius, & ad u-
tilitatem publicam, quàm ad priva-
tum suum commodum respiciant. Confer.
Hæc enim quasi Cardinalis virtus *glossam*
est officialium Majestatis, cum præ- *D. Andr.*
ficiantur officiis publicis, non ut *Osiandri*
num publicum compilent, & privata *ad v. 49.*
sua marsupia in immensum dilatent, *& 50. cap.*
Verùm, ut bonum publicum promo- *19. Josuæ*
veant, & in honore potiùs ob talia of-
ficia sibi delato, quàm in lucro svavi-
ter acquiescant, uti scripsit vir quon-
dam gravissimus, Dn. M. Bartholo-
mæus Beckius, piæ memoriæ, Pastor
heic loci, & Consistorialis celebra-
tissimus, Hospes ac Promotor de
me meritissimus, in Pentadio Gy-
mnasmatum Politicorum, de Maje-
statis Officialibus, th. 13. Altiùs
perpendat quilibet Politicus verba
Melanchthonis, in dicto Commen-
tario in Ethica Aristotel. extantia:
Nulla res in vitâ habet aut plura, aut
majora pericula, quàm administratio
Reipublicæ. Quare & Demosthe-

nes

nes inquit, se, si posset retexere vitam suam, malle certam mortem obire, quàm ad Rempubl. accedere, etiam si certè sciret, summos se honores consecuturum esse. In tot periculis Deus adest ritè vocatis, non adest his, qui per ambitionem capeffunt Rempubl. non vocati.

Sed quid de his dicendum, qui militatum abeunt, & gloriam armis reperire fatagunt: quibus dulce & decorum est, pro patria mori? Sanè militum fidem tanti æstimat Apostolus, ut 2. Tim. 2. v. 4. illam, tanquam illustre exemplar Ministris Verbi divini, imitandum proponat. Quare eò laborandum iis, qui Castra sequuntur, ut adhibeant sapientiam in consulendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, alacritatem in strategematibus, vigilantiam in periculis, patientiam laborum, fortitudinem in dimicando. Hinc rectè censet Antonius Gvevara, lib. i. horol. Princip. c. 17. fol. 515. Res bellicæ, maximè, quæ manu peragenda sunt, non in verborum, quæ
in

Excipiunt tamen rerum bellica-
rum periti necessitatem, quā inciden-
te, mulieres milites juvare, & seipsas
contra vim & injuriam defendere
possint, quod & Sacerdotibus facere
integrum est, juxta cap. 3, Num. .v. 6.
Deut. 20. 2. 2. Chron. 13. 12. Cū
itaque hoc ἀξίωμα imprimis masculi-
no sexui competat, ut oppositum
hostem aggrediantur, & cum sui si-
milib. pugnent, videant, ne officio
suo desint, sed potius, ut, dum licen-
tiosæ militiæ operā dant, ante omnia
Deum metuant, templorum religio-
nem ac Sacerdotum reverentiam ha-
beant, erga homines verecundi sint,
erga patriā misericordes, superior. o-
bedientes, erga Virgines ac honestas
matronas pudici, erga pauperes be-
nigni. Quādo jam ad extrema ventū
est, & incundū præliū, capienda urbs,
conscendendi muri, suo quisque or-
dine ac loco fortiter, cum DEO, fa-
ciat, quod sui officii est, & amplissi-
ma sibi proposita præmia ac coro-
nas, animo præcipiat. Qui civem ser-
vaverat, coronā ē quercuū, vel ilice
ci-

civico mactabatur, qui obsidione liberaverat, obsidionali ex gramine è loco, intra quem obsidebatur, decerpto; qui primus murum subierat, murali; qui castra hostium primus introiverat, castrensi; qui primus in hostium navem, navali; Imperatoribus decretus triumphus vel ovatio, quâ triumphans non tauros, sed oves pro sacrificio ducebat, erectaque eo loci, ubi hostis profligatus, tropæa, seu spolia in stipitibus fixa, ut scribit doctissimus J. Jonstonus, Polym, Philol. lib. 3. c. 8. de militiâ, parag. 146. Statum denique Oeconomicum quod attinet, sunt in illo tres societates, peculiaribus distinctæ officiis, Conjugalis, Patria & Herilis. Conjugum quæ sit Sparta, ut Vir sit bonus Paterfamilias, Uxor sedula Martha, seu, ut ait ille, *βίη σωτηρία* inveniatur, ad satiem usque in sacris concionibus inculcatur, sed non tam sæpè, quam frequenter dicitur, observatur. Quemadmodum nec alia quæ Parentibus & liberis, Heris & servis juxtâ divinum præscriptum,

injunguntur, eâ quâ decet, audien-
tentiâ excipiuntur. Concordiam
Conf. turturum & amorem imitentur, nec
Cent. 3. admittant, ut facello Deæ Viripla-
Can. The- cæ, quod olim factum, ad concordi-
ol. D. Fin- am sint redigendi.
ckii p.

145. Felices ter & amplius

Vid. Quos irrupta tenet copula, nec
Schonb. malis

polit. de Divulsos querimoniis

Mar. & Suprema citius solvit amor die:

Uxore. Si honestam posteritatis ne-

cessariam *την νομονομίαν* attendunt Con-

Horat. 1. jugati, locum omninò relinquunt
od. 13. effato illi Platonis propè Christi-

ano, sexto de Legibus: Oportet Pa-
rentes gignere & educare liberos,

qui vitam, tanquam Lampadem Po-
steris tradant, ut semper sint aliqui,

colentes Deum, juxta Legem ipsius:
Confer. libell. D. Georg. Mylii de

consensu dogmatum Lutheri cum
doctrinâ Apostolorum cap. 11. Mu-

tuo affectu & auxilio sese sublevent
pii Conjuges, aliisque in hoc statu

suo bonis ac beneficiis, quæ Naturæ
& scripturæ Lumen ostendit, perfru-

an-

antur. Neque n. fidem arbitramur
Hugoni Grotio, lib. 2. de jure Pacis
& Belli, c. V. ubi inter alia Conju-
gium delineat, quòd sit cohabitatio
maris cum fœminâ. Si n. velimus
consummatam definitionem Conju-
gii dare, ita potius describendum e-
rit, quòd sit legitima, solennis, &
per totam Vitam ligans conjunctio
unius maris & fœminæ in unam car-
nem, instituta à Deo, ad procreatio-
nem sobolis, mutuam adjutorium,
& evitacionem libidinis, prout accu-
ratè definit Dn. D. Joh. Adamus O-
slander, Theologus Tübingensis, in
observationibus Theologicis contra
eund. Grotium, p. 737. Feliciter
suo matrimonio utuntur, qui ad illud
Gersonis monitum sese accommo-
dant: Benignitas & fidelitas facit
maritum placere uxori: Humilitas,
sobrietas, & Castitas, opera sunt quæ
faciunt uxorē placere marito. Con-
jux debet esse Viro, juxtâ Poëtam,
- - Omnis curæ casusq; levamen.
it. Tu mihi primus amor tu mihi fi-
nis eris.

Vid. Ta-
cit. de mo-
rib. germ.
p. m. 640.

C 3

Joh.

Joh. Ludov. Vives, qui in Phi-
lofophiã & liberior & veracior aliis,
& inter proximos fuiſſe, qui ſuperio-
ris ſeculi barbariem & Sophiſticam
agnoverit agnitamque protulerit,
convicerit, afflixerit, viſus eſt Joan.
Thomæ Freigio, J. U. D. in libb. de
officio Mariti & Fœminæ, quàm plu-
rima habet, quæ ad institutionem
Christianorum Conjugum faciunt.
Inter ea Aſterifcum merentur ſe-
quentia: Vir, quum cogitat, ſe eſſe
caput & animum, uxorem velut cor-
pus & carnem: ſimul venire illi in
mentem convenit, eſſe illam filiam
& ſociam laborum ac fortunarum,
communem eſſe inter eos ſobolem,
os ex offibus, & carnem de carne vi-
ri. Ita erit in conjugio dulcedo il-
la & ſvavitas convictus: quæ ſi abſit
non jam eſt conjugium, ſed carcer
& odium, & carnificina animorum
perpetua, p. 78. & p. 254. Sive co-
gitet quid, ſeu dicat, ſeu agat Mulier,
nihil, nec in affectu, nec verbis, nec
factis exiſtat immodicum, arrogans,
inſolens, laſcivum, putidum, petu-
lans,

lans, nihil jactabundum aut ambitio-
sum. Honores nec se mereri cre-
dat, nec expetat, imò verò devitet:
& si contingant, quasi immerita eru-
bescat. Nullâ re insolescet, non for-
mâ, non venustate, non genere, non
opibus; sciens, illa breviter peritura,
superbiæ verò paratâ æternam pænâ.
Hactenus Vives. Petrino illi, mollis
hic ac sequior sexus firmiter inhæ-
reat, 1. Pet. c. 3. v. 3. *Uxoribus orna-
tus sit non externus in plicaturâ capillo-
rum & additione auri, aut in palliorum
amictu, verum occultus qui est in corde
homo, &c.* Præcipiens hæc Apostolus,
non jubet mulieres squalore, sordibus
& horrenribus pannorû assumentis
tegi, sed immoderato cultui & nimis
exquisito interdicit ornatui. In hunc
Petri locum J. H. Ursinus in *Analect.*
*Theol. & Philolog. de Christianis
officiis*, allegat verba Cypriani, p.
181. quæ ita sonant: Longè absint,
quibus pulchritudo non ornatur,
sed prostituitur. Nam sollicitudo de
pulchritudine & malæ mentis indi-
ciû & deformitat, est. Sit natura cor.

poris libera, nec divinis operibus vis
inferatur. Semper est misera, quæ
sibi non placet, qualis est. Quid ca-
pillorum mutatur color? quid ocu-
lorum extremitates suffuscantur?
quid facies artibus in diversam for-
mam convertitur? quid postremò
speculum consulitur? nisi quia, ne
ipsa sit, timetur. *Cultus mulieris pudicæ
pudicus sit.* Chrysofostomus, Tom. V.
opp. ferm. 12. de non sectandis con-
cupiscentiis carnis, fol. m 103. f. b.
paucis verbis rem hanc absolvit, *His
utere indumentis, quibus carnem obtege-
re queas, non ornare.* Liberi ex teno.

Vid. B. re quarti Præcepti tenentur Paren-
Dn. D. tes honorare, amare, illis obsequi, &
Carpzov. præter ipsorum voluntatem nihil ag-
Isag. ingredi, nihil moliri, etiam si adultiores
lib. Symb. paullò sint, quod inter cætera exem-
fol. 982. pla pudicissimæ Rebeccæ visitur,
Vid. orat. quæ pro eo instante, parentum con-
Strigel defensum, cum Isaac esset despon-
Isaco p. denda, & ut sperata virgo ipsi addu-
44. cenda, antè omnia postulabat. Am-
brosius id adeò honestum & consen-
taneum naturæ esse dicit, ut idem
quo-

quoque Poëta profani senserint, & recitat versus Euripidis, ap. quem in Andromachâ cum Orestes peteret connubium Hermiones, hæc respondet: Eam rem pertinere ad arbitrium Patris. Verba hæc sunt: Nuptiarum mearum Pater meus curam habebit, meum non est, de illis judicare. Et quod filix hæc in parte incumbit, & filium illud decet. Plutarchi quoque sententia altâ mente ruminanda est, quam habet *περὶ Φιλαδελφίας*: Parentibus, ait, honorem post Deos primum & maximum non modo natura, verum etiam lex, conservatrix naturæ tribuit, nec ullum officiû, Deo magis placet quàm si liberi parentibus & nutriciis mutuam gratiam pro nutritione summa cum benevolentia & alacritate referant. Contrà verò nullum evidentius signum est impiæ mentis, quàm neglectus & contentus Parentum. Et denegatum à liberis Parentibus debitum obsequium, multis exitio fuisse, in scripturæ & profanæ historix exemplis, qui non videt, sane is quasi

Saturnias in oculis habere lemas dicendus est. In societate herili denique sunt domini & servi. Domini servos humaniter tractent, ad inhonesta servitia nequaquam adigant, de consueto victu & mercede ipsis prospiciant, semperque, ne otiosi inveniantur, curent. Contra servi sint humiles, non n. decet superbum esse hominem servum, uti censet Comicus, sint fideles & morigeri, sint laboriosi, & quæ alia ab ipsis poscuntur officia, quæ Apelles artificiosa picturâ expressit, dum servo aures asininas, nares porcinas, manus, omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes cervinos, labra duabus feris clausa tribuit. Sed quò dilabor? Non bihorium, non trihorium, imò nec dies sufficeret, hoc præsertim tempore, ubi

bruma nivalem

Interiore diem Gyro trahit, singula omnium officia ordine enumerare. Sufficiat potiora à me impresentiarum attacta verius, quàm
ad

adducta fuisse: Faxit Deus Opt.
Max, ut nos omnes qui certis officiis
ejus gratiâ præfecti sumus, ad eun-
dem Deum nostrum, instar heliotro-
pii semper conversi, ea fideliter exe-
quamur, quæ nobis sunt demandata,
certò persuasi, Deum benignissimum,
officiorum nostrorum autorem &
præsidem, nos adjuturum esse. Me-
mores simus decantatissimi versi-
culi.

Fac tua quæ tua sunt, quæ functio cer-
ta requirit,

Commendans uni cætera cun-
cta Deo.

Exaudietur aliquando à nobis vox
illa optatissima: Euge, serve bone
& fidelis, super pauca fuisti fidelis, su-
per multa te constituam: intra in gau-
dium Domini tui, cælesti vitâ & fe-
licitate in omnes seculorum
myriadas perfruiturus,

DIXI.

In

In proximè præcedentem Locum,
Matthæi XXV. Cap. 23.

Hendecasyllabum.

Nil est Oeconomo bono ac fi-
deli
Majus ac melius, sagace curâ
Qui commissa Bona administrat
æquè,
Semper fidus Hero. Sibi illa cælo
Olim sentiet adsonare Verba:
Euge, mi bone ferve, destinata
Jam nunc in Domini remunerantis
Intra gaudia: Ut hæctenus Minister
In parvis alacer Bonis fuisti,
Sic majora super meres locari.
Sed qui dilapidat malè otiano
Et perdit bona, negligitque lucrum,
Censurâ graviore is ipse tandem
Annotabitur, inque sempiternas
Mittetur tenebras, salutis expers,
Veræ ac lucis honore destitutus.

FINIS.



Ne pagellæ residuæ vacarent,
placuit Explicationem Loci cujusdam
sacri, ad officium Ecclesiasticum maxime
spectantis, ex Miscell. sacris N. FUL-
LERI hic subungere.

Locus 2. Tim. 2. v. 15. explicatus
extat lib. 3. Miscel. Sacr. dicti au-
toris c. 16. p. 369. his verbis: Apo-
stolus Timotheum hortatur, ut se pro-
bum operarium præstet minimeque
pudendum, *ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς*
ἀληθείας, h. e, ad Verbum: Rectè se-
cantem sermonem Veritatis. Sed ne-
quis germano, metaphoricæ locutio-
nis istius usu non percepto, de subtili-
bus quibusdam ac jejunis *διχοτομίαις*,
aut divisionibus duntaxat, hoc acci-
peret, vulgata editio cum Latinè, tum
ad metaphoræ vim declarandam, ide-
oque & Apostoli sententiam expli-
candam accommodatissimè interpre-
tata est, rectè tractantem. Ita namque
à specie ad genus traduct à significa-
tione (ut aliàs sæpe numero fieri so-
let) usurpatur à Græcis *ὀρθοτομεῖν*.
Nam ut *καινοτομεῖν*, propriè denotans
novas vias secare, ex usu linguæ
græ-


Graecæ res novas moliri, vel suscipere
 valet: pari ratione etiam ὀρθοτομεῖν,
 res rectas aggredi vel facere signifi-
 cabit. Unde & LXX. ἡ δὲ h.e. diri-
 gere, aut rectum facere, ὀρθοτομεῖν, se-
 mel atque iterum reddiderunt. Hinc
 item Lexicon illud Græcolatinum,
 non minùs eruditū, quam vetustum,
 ab Henrico Stephano divulgatum,
 ὀρθοτομῶ, exposuit, rectifacio, rectè
 tracto. Denique antiquissimum illud
 monumentum, nec unquam satis lau-
 datum, versio nempe Syriaca, hoc ip-
 sum confirmat, quippe quæ transtu-
 lerit, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον, rectè prædi-
 care sermonem. Rectè verò tra-
 ctare seu prædicare sermonem, si de-
 finire libet, quid obsecro aliud est, quàm
 (ut optimè explanavit doctissimus
 interpres) primum omnium quod
 ad doctrinam attinet, nihil præter-
 mittere, quod dicendum sit: nihil e-
 tiam adjicere de suo: nihil mutila-
 re, discerpere, torquere. Deinde
 spectare diligenter, quid ferat audi-
 torum captus, quicquid denique
 ad ædificationem conducit. At se-
 care


Annotat.
 Bezae in
 2. Tim. 2.
 15.

care sermonem, & inſuetum eſt la-
tinis auribus dicendi genus & (quod
deterius) nimis anguſtum, nec am-
plitudinem Senſus Apoſtolicī aſſe-
quitur. Cæterum de metaphora
Beza arbitratur eam deſumptam eſ-
ſe, ab illa legali victimarum ſectio-
ne ac diſtributione. Nec inerudita
eſt coniectura. Veruntamen malit
forſan quiſpiam (abſolutè loquen-
do) Graeci idiomatici formulam,
ex ejus linguae conſuetudine penſi-
tare, & cùm Græci dicant, τέμνειν
ὁδὸν viam patefacere, ſeu aperire,
inde demum dictum ορθοτομῆν τὸν
λόγον τῆς ἀληθείας, ac ſic commo-
dè exprimi poſſe verbi Veritatis re-
ctam q̄s. viam patefacere, vel ape-
rire, aut, ſermonem veritatis q̄s.
iter, rectà patefacere. Hæc, & ſe-
quentia, quæ de Tmematis, ſegmen-
tis vel particulis Script. S. Timo-
theo à pueritia ſacras litteras edo-
cto, notiſſimis, tradit, eruditè ſatis
Autor. d. l. pertractat. Illud verò
quod ſupra de ſubtilibus quibusdam
ac jejunis διχοτομίαις attulit Fullerus,
ita

ita accipiendum est, ut interea locus
suus relinquatur bonis divisionibus
& distinctionibus, ceu necessariis rei
docendae mediis & instrumentis, prae-
sertim, si juxta regulas Logicas usur-
pentur. Hinc Phil. Melanchthon,
communis Praeceptor, Siero Poetae
Phoenix Doctorum olim dictus, in
Epistolâ dedicatoriâ, Erotematis Di-
alecticis praemissâ, ubi idem Verbum
ὁ ἕθορ μείν explicat, sic scribit: *Ut a
hostia, certo modo secunda erant, ita cer-
tâ ratione sententia caelestes distribuenda
sunt, cujus rei via, cum in solâ Dialecticâ
propriè tradatur, haec ars (Logica) tan-
quam culter hujus partitionis existimari
poterit* Et sanè res ipsa docet, quan-
tum lucis rerum cognitioni bona di-
visio affundat, ut manifestae experi-
entiae refragari videatur, qui id neget.
Plato Divisioni tantum tribuit, ut in
Philebò quidem facultatē recte divi-
dendi Donum Dei vocet, in Phaedro
autem dicat, eousq; se divisiones ama-
re, ut si quem inveniat dividendi &
componendi peritum, eum ut vesti-
gia DEI secuturus sit.

FINIS.





Jg 1158

ULB Halle 3
004 102 320



1017

M.C.






Cl. 3428.

Q. B. V.

ORATIUNCULA
DE FIDELITATE OF-
FICIORUM,

habita in Gymnasio Mans-
feldensi

M. GODOFREDO REISSIO,
Islebii ad D. Nicolai Pastore, Con-
sistorii Mansfeld. Assessore, & dicti
Gymnasia p. t. Inspectore.



ISLEBII,
Litteris Andreae Cogni,

Dr. M. Georgio Stöcker
Pastor. Petros-Paulino et
Consistoriali uti et Ministr.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

